

ELEGIA CONSOLATORIA.

AD IOHAN-
NEM CAROLSTADI-

um scripta, postquam EVAM

SCHOLASTICAM *fidelissimam vite*

consortem, & domestica inuocationis

sociam, fœminam optimam, matrē

familiars diligentissimam, et om-

nium curarum & ærumna-

rum dulce leuamen


amisit.


à

Luca Schubbæo Consule

Leoburgensi.

M. D. LXXVIII.





ELEGIA CONSOLATORIA
 AD IOHANNEM CAROLSTADTENSEM
 UNIVERSITATIS POSTULANTEM EVANGELII
 SCHOLASTICAM AUSTRIACAM
 CONFESIONEM ET DOMINICAM INNOCENTII
 SOCIETATEM
 SOCIETATEM
 SOCIETATEM
 SOCIETATEM
 SOCIETATEM



13803

Lucas Schubertus
 Leoburgensis

M. D. LXXVII

1145 a 1977

E
 F
 In
 Cu
 Q
 N
 Q
 P
 H
 F
 Q
 F

ELEGIA CONSOLATORIA.

ET me luctus habet, tecumq; piissime Frater,
More niuis lachrymæ sole madentis eunt.
In promptu causa est, quis acerbo frena dolori
Injiciat? iustis temperet à lachrymis?
Cui vitæ sociam fidam, cui denique cordis
Dimidium subitò mors truculenta rapit?
Quo nihil est homini toto præciosius ævo,
Quo nihil in toto carius orbe manet?
Nec dolor est maior, quàm cum violentia mortis
Unanimi soluit corda ligata fide.
Quin probat hunc, sanxitq; adeò Deus ipse dolorè,
Ut docet in multis pagina sacra locis.
Primus is hos motus homini, hæc incendia cordis
Indidit, è thalamis pectoris hausta sui.
Hoc ut in igne sciat, quo sponsam diligit igne
Filius æterno de Genitore satus.
Et pariter discat, casti quòd causa pudoris,
Coniugijq; autor sit Deus ipse sacri.
Quò propiora Deo, & cælo sunt pectora, tantò
Sunt magis illustres pectoris igniculi.
Filius ipse Dei mundi pereuntis asyllum
Hospitis interitum corde dolente gemit.
Ac flet, ubi mæstas Fratris properata sorores
Aspicit ad tumulum funera flere sui.

Ignoscat placidus nostro non ille dolori,
Qui Storgas hominum mentibus inseruit?
Has non extinguunt caelestis flaminis aura,
Suauius at quadam ten perie recreant.
Motibus his etiam dulcissima gaudia miscent,
Gaudia quae vitae spem sine fide dabunt.
Rectè igitur luges, tristis Respublica tecum
Urbs & tota gemit funere mesta Tuae.
Mæroremq; suum lacrymis testantur amici,
Alloquissq; pijs tristitia corda leuant.
Sed tamen hic modus est, certi sunt denique fines,
Quos ultra aut citrà mens pia stare nequit.
Hos tibi præscripsit Christus, ne scilicet agrum
Vsq; adeo abijcias pectus & vsque fleas:
Vt nulla admittas tantos releuantia luctus
A tibi dilectis verba profecta viris.
Non deet hoc Christi naetos de nomine nomen,
Non hos, ut gentes, flere, dolere decet.
Nouerunt illi esse Deum, qui tempore fixo
Hos nasci, atque illos rursus obire iubet.
Cuncta suo arbitrio dispensat munera vitæ,
Et quæcumq; facit, non nisi iusta facit.
Huic fidos parère deet sine murmure natos,
Quicquid & imponit, cōsuluisse boni.
Hic tibi quid prosit te nouit rectius ipso,
Diuinæ superat te bonitatis amor.

Sollicitusq;

Sollicitusq; suo tua digerit omnia nutu;
Tanti est presentem semper habere Deum:
Anne vides totum quae & quanta pericula mundi
Exagitent, quot sint bella, nece, odia?
Et quanti immineant Christi cultoribus hostes,
Ut thalamos nostros publica damna premant?
Qualia Christicolam deformant vndique gentem
Schismata, Doctores praelia quanta gerant?
His igitur curis tantisq; laboribus illam
Quod Deus eripuit, tunc dolore potes?
Hoc certè votis per multi ex omnibus vnum
Ingemitant: ô mors meta doloris ades:
Multiplices cupidi moriendo euadere casus,
Quos quoque portendit crine Cometa suos
His nunc illa vacat, non ipsam bella, vel hostes,
Non clades, morbi ledere fortè queunt.
Nec mors ipsa potest solitis violare rapinis,
Quae semel intorsit mittere tela nequit.
Illa dedit finem lachrymis, metamq; dolori
Constituit: Virtus est adhibere modum:
Dee prorsus tua tota iacet iam mortua coniunx,
Viuit, & aeternum viuet in arce poli.
Mors haec caelestis verissima ianua vite est,
Vita haec non vite nomine digna fuit.
Mærores tantum & morbi, febrisq; recurrens,
Calculus & mors sunt hoc superata modo.

At nunc post mortem aeternae stant secula vitae,
Nunc datur aeterna pace, bonisq; frui.
Membra quidem tumulo, ceu molli victa sopore,
Hic prostrata iacent, molliter ossa cubant:
Corpore sed proprio cum Christus victor auerni,
Terreni imbuerit saxea busta soli:
Atque iterum mortis liber formidine vitam
Arripiat mortis conscia signa gerens.
Corpora non linquet gelidi sub pondere saxi,
Numinis hospitium, tincta cruore suo.
Sed sibi tam caros, precioso & sanguine partos,
Seruabit cineres viribus ipse suis.
Ut quoque ne minimum quidq; decedat ab illis,
Sic hos Omnipotens curat amatq; Deus.
Quam veluti semen mandasti nobile glebis,
In quo vix aliquid dixeris esse spei:
Hanc rursum eliciet tumulis post frigora brumae,
Sol radijs vitae iustitiaeq; micans.
Restituetq; decus vineae, non illi Amaranthus,
Lilia non certent, purpureae aut viola.
Haec igitur tristem brumali & frigore cinctum
Te recreet veris spes animosa noui.
Atque tuos minuant caelestia gaudia luctus,
Gaudia non nullis equiparanda bonis,
Cum procul à nobis cedentem flemus amicum,
Spes reditus nobis gratior esse solet.

Et

Et minuit curas, quamuis à sorte trahatur
Ambigua, & soleat fallere saepe viros.
Spes eadem spectans & nescia fallere quemq̃,
Te recreet, luctus attenuetq̃ tuos.
Non aliter veluti peregrina in sede morantem,
Urbe te Eua expectet mox reducem in patria.
Quam visurus eas multum properante Caballo,
Gaudia prapediat ne mora fortè tua.
Et certè hanc ipsam quam mors tibi sustulit agram,
Confectam partu lethiferaq̃ lue:
Illa dies reddet renouato in corpore membris,
Quæ certent radijs splendide Phæbe tuis.
Non hanc vltèrius diri contagia morbi
Tentabunt, expers viua doloris erit.
Cum Domino victa peraget de morte triumphum,
Ridebitq̃ truci spicula fracta necis.
Tuq̃ illam in tanto coràm splendore videbis,
His oculis cernes gaudia Iane tua.
Æthereaq̃ illi par maiestate nitebis,
Vltima cum summum finiet hora diem.
Cessa igitur, quantumq̃ potes, compesce dolorem,
Quem sibi dilectis inijcit ipse Deus.
Vt sibi finitimos alieno in funere casus
Agnoscant, vite sint memoresq̃ nouæ.
Nec tamen ille suos hic planè deserit orbos,
Quin Patronus adest, mitis amansq̃ Pater.

Et

Et sufferre iuuat, ne vincat robora moles,
Ille potest subitam ferre rogatus opem.
Quod facis, huic confide libens, huic crede monenti,
Exemplum Isacidae fac imitare pij.
Qui condens tumulo corpus Rachelis amate,
In lacrymis iustum nouit habere modum.
Altera spes vite iubet hoc, Christiꝑ triumphus,
Victor ubi summus fertur ad astra Deus.
Nec decet hanc lachrymis plus iusto vrgere profusis,
Cui lachrymas omnes terserat antè Deus.
Quamꝑ inter sanctas matres diuasꝑ locauit,
Quæ canit æternum turba beata melos.
Viue igitur letus, curasꝑ è pectore pelle,
Attrahit ante diem mens sibi mœsta necem.
Ipse tuas lachrymas Deus olim in gaudia vertet,
Et dabit, vt veniat gratior hora tibi.
Durato, & temet rebus seruato secundis,
Clara solet pulsa nube redire dies.

F I N I S.

EPITAPHIUM
EVÆ SCHOLASTICÆ
coniugis docti & honesti viri D.

Ioannis Carolstadij, Secretarij Republicæ Leo-
burgenſis integerimi.

EVÆ Carolstadij Scribæ fidiſſima coniunx,
Hic Euangelij qua ſonat aura cubo.
Ancipiti partus vix eluclata labore,
Extremumq; dedi pignus, & occubui.
Ac linquens viduo ſobolem & emituſq; marito
In terra poſui corpus inane ſinu.
Terrea maſſa fui primæni labe parentis
Deformis, vitio ſordidiorq; meo:
Optime Chriſte tuo roſeo ſed ſanguine munda,
Juſtificaq; tibi Chriſte dicata fide.
Fonte rigata ſacro Triadisq; in nomine ſanctæ,
Corpore paſta tuo, ſanguine pota tuo.
Et germana tuæ fraternæ portio carnis,
Quam geris intacta virgine natus homo.
Primus homo mortem peccatis intulit orbi,
Morte tua mortem tu premis alter homo.
Ergo tuis fidens meritis dulciſſime Ieſu,
Tuta ſub æterni pace quieſco Dei.
Non ſecus ac granum hi umali frigore tectum
Putreo, quo ſurgam florida vere nouo.

Quando

Quando reuersurus summis volentibus annis
Et tumulis repetes corpora viua suis.
Tunc ego Christi adum quoque te comitata P. tronii
Ingrediar tecum parva theatra pijs.
Nunc animam caeleste bonum tibi pignus habe o,
Donec ad exuias est reditura suas.
Ergo reuixuri qui stas in puluere grani,
Dic, fidei compos casta fit Eua sua.
Et nunc letitia fruitur vitag. perenni,
Facta fide et meritis Christe beata tuis.
Non obit, hinc sed abit vita caelestis ad arcem,
Qui subit in vera fata suprema fide.
Non venale patet meritorum stercore caelum,
Sola fides referat limina clausa poli.

Lucas Schubbæus F.



Des. 1977



77



BIBLIOTEKA KÓRNICKA

13803z

13803